DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO-PATHOLOGICA

DE

RARA VESICAE URINARIAE CUM INTESTINO RECTO COALITIONE ET EXULCERATIONE

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE ADIPISCENDIS

DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCXXIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERNHARDUS NATH. FRIEDLAENDER
OPPOLIENSIS.

OPPONENTIBUS

E. DECKART, MED. ET CHIR. DR.
F. BRANISS, MED. DD.
C. LAU, MED. DD.

CUM TABULA AENEA.

BEROLINI.

VIRO

PERILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,
AMPLISSIMO

CAROL. ASM. RUDOLPHI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI, HUJUS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, MUSEI ANATOMICI DIRECTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE EQUITI, COLLEGII MEDICO-TECHNICI PRIMARII MEMBRO, ACADEMIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS, HOLMIENSIS, NEAPOLITANAE, PARISIENSIS, PETROPOLITANAE ALIARUMQUE SOCIETATUM SODALI.

NEC NON

VIRO

CELEBERRIMO ATQUE DOCTISSIMO

ANTONIO PIEHACZEK

GYMNASII REGII OPPOLIENSIS DIRECTORI
ET PROFESSORI.

PRAECEPTORIBUS AC FAUTORIBUS

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE OFFERT.

AUCTOR.

Prooemium.

Ex omnibus artis medicae disciplinis, ut mihi quidem videtur, nulla est, quae inaugurali dissertationi conscribendae magis conveniat, quam Anatome, quippe quae praestantissima medicinae pars prae ceteris tironi uberrimum praebeat, certis tamen circumscriptum limitibus disserendi argumentum, nec periculum est, ne, ut vulgo fit, undique corradat et in sua transferat et — venia sit verbis — ex decem undecimum compilet libellum. — Quapropter ut dissertationis meae inauguralis argumentum ex Anatome peterem semper mecum constitui; atque de his sae-

penumero mihi cogitanti, officio ac liberalitate Ill. Dris Rudolphi, Professoris et Regi a Consil. intimis, contigit, ut rarum quendam nuperrime in hac urbe primaria observatum casum describendum eligerem. Quam ob singularem in me collatam benevolentiam, Viro Doctissimo Summeque Reverendo, qui praeterea etiam, quos in usum vocavi, libros ex conquisita praestantissimorum librorum copia sua, mihi suppeditarit, publice gratias quam maxumas agere majoresque etiam habere meum esse putavi.

Continet autem praeparatum hoc anatomico — pathologicum singularem vesicae urinariae cum intestino recto coalitionem, quam saccus peculiaris inter utrumque viscus locum tenens, constituit.

Praeterea tota vesicae superficies interna, una cum partibus vicinis exulceratione adeo

infestata erat, ut intestinum rectum foraminis ope cum vesicae cavo corresponderet. Id quod ante obitum jam ex eo inclaruit, quod miser uvarum acinos et frustula paulo ante ore assumta, simul cum lotio faeculento per urethram emisisset.

Pauca quidem, verum graviora de morbi historia, quae benevolentiae Cel. Dris Boer, qui modo postremum morbi observavit stadium, debeo, afferre mihi licuit. Certe plura in medium proferre potuissem, nisi Vir ille Illustr. Dr. Mayer, qui curam statim ab initio gessit, morbo fuisset impeditus, quominus reliqua mecum communicaret momenta. Nec omnes praeparati partes delineari potuerant; itaque internam modo vesicae fundi corruptionem meatumque ex intestino recto in vesicam, ad meliorem speciminis illustrationem, delineandam aerique incidendam curavi.

Quae cum ita sint, benevolo lectores, accipiatis quaeso meos conatus animo, nec graviores mihi sitis judices, si non omnia ad unguem explicaverim. Valete.

Introductio.

Viscera in pelvi sita, feminae tria, viro nonnisi ut ajunt duo, vesica urinaria et intestinum rectum cum vasis nervisque, tum membranis tam arctim inter se cohaerent, ut aegrotante uno alterum mox in consensum rapi facile possit. Sic saepius urinae excretionem augeri vel imminui, etiamve magna cum difficultate prodire videmus, si intestinum rectum irritetur vermibus [1]). Nec minus strictura [2]) intestini recti acerbissimas vesicae mollestias excitare valet. — Majora vero incommoda ex tali viscerum pelvis conditione oriri solere, quis est, quem fugiat? Substantia enim alterius labe correpta mox

[1]) John Howship, prakt. Bemerkungen über die Krankheiten der Harnwerkzeuge, aus dem Englischen übersetzt, Leipz. 1819. 8. S. 57,

[2]) l. c.

alterum ob vicinitatem intimam praeter opinionem incendio deflagrat. Haud raro enim accidit, vesicae urinariae ulcera intestinum rectum ut infestentur aut intestini recti abscessus vesicam affendant. Quibus facta utriusque visceris communicatione lotium alieno loco, idque saepissime per anum effluit. Atque ejusmodi malum naturae per longum temporis spatium a miseris interdum sustineri varia docent exempla.

Refert enim Praxagoras [1]), visum sibi quendam, qui per sedem urinam excrevisset, supervixissetque annis XII. et quod excurrit.

Albinus [2]) enarrat, virum, quotiescunque excernenda fuerit urina, primum illam emisisse per viam consuetam, et mox quum hoc facere desineret emittere per anum eamque multam, ac vi compulsam, ut in alvi fluxu. Demisso per anum digito ulcus invenit, quo vesica intestinum rectum petiit.

Illustris Hallerus [3]) exemplum refert,

---

[1]) Prax. Ruff. Ephes. de vesicae renumque affect. Cap. VIII

[2]) Albini adnót. acad. Lib. VII. Cap. XII.

[3]) Elem. Physiol. §. 2. p. 370.

cui cum duodecimo die suppressa urina ja gravis lethargus ingrueret, urina multo cum levamine per alvum gesta est. Atque alia hujusmodi exempla apud Hildanum [1]), Fernelium [2]), et Morgagni [3]) legi possunt.

Verisimillimum mihi videtur, in his omnibus vesicae et intestini recti vitiis, ubi ex utriusque visceris communicatione diarrhoea urinalis exorta est, exulcerationem aut vesicae inferiorem cervici proximam partem obtinuisse, aut statim ab initio ex vesica intestinum petiisse. Ubi autem contrarium habet locum, majora inde vitae oriuntur pericula. Faeces enim ex intestino recto in vesicam delabentes, quamquam ex parte cum lotio per urethram reddi possunt, maxime tamen accumulatae, miserrimam adducunt homini sortem.

Rara ejusmodi exempla non desunt, si auctorum scripta evolvamus.

„Secto dicit Schenkius [4]) cadavere Pe-

---

[1]) Fabr. Hild. obs. Cent. II. obs. 65.
[2]) Fernel. Path. Lib. VI. cap. 13.
[3]) Morg. de caus. et sedib. morb. Ep. 42. §. 46.
[4]) Obs. Med. Lib. III. p. 370.

„tri de Schandes, re medica illustris, prae-
„ter lapides renumque prodigiosos reper-
„tos, etiam in recto intestino a regione
„colli vesicae inventa est carnositas putris,
„quae sua putrilagine vesicam ita lacera-
„verat, ut intestinorum excrementa, ante
„obitum, una cum urina redderentur, ad
„miraculum usque, et forsan antea non
„visum.

J. P. Frank [1]) praeter alia ejusmodi exempla unum recenset de Sacerdote Veneto, cujus quoque accuratam morbi historiam annexuit. In quo abusu remediorum adstringentium durante dysenteria inflammatio intestini recti enata est, unde ejusdem concretio cum posteriori vesicae urinalis pariete atque utriusque visceris abscessus insanabilis producta fuerint, ita ut nunc urina per intestinum rectum nunc faeces una cum lotio per urethram emmitterentur, et aeger die decimo obiret.

Vir inquit Wagnerus [2]) calculo renum

---

[1]) J. P. Frank. delect. med. op. antehac. in Germ. diversis acad. edit. Ticini 1785. Vol. II. p. 9.

[2]) Misc. nat. cur. dec. II. an. IV. obs. 75.

atque vesicae laborans, ingentem imprimis dolorem circa pubem aliquamdiu passus est, ita ut tandem alvi excrementa non amplius per anum, sed per penem tantum summo cum dolore emittere inceperit, quod malum sex circiter menses duravit; interea jusculis atque pulticulis variis sese sustentabat. Quodsi autem forte pomorum in pulte partem interiorem ex incuria ibidem derelictam devorasset, acutissimum postmodum dolorem inter ejus excretionem sentiit. Viribus autem hoc affectu tandem exhaustus, anno aetatis L., naturae debitum persolvit.

Simile quid denique a Zwingero [1]) enarratur. Senex 78 annorum coelebs, studiis literariis et vitae sedentariae deditus, subito corripitur dolore acuto in regione lumbari, cum febricula continua. Qua brevi tempore liberatus, tamen dolore, mictione dolorifica, et alvi tenesmo afficitur, et sensim dysuria mollestior fiebat, cum aeger clysmata et injectiones repudiaret. Tandem quaedam bullulae ex urethra propullabant, et deinceps urinam nigricantem faeculentam cum strepitu

---

[1] Act. Helvet. Vol. IV. p. 231.

reddebat, ex quo meatum ex intestino recto in vesicam adesse apparuit; aeger autem paulo post marasmo mortuus est.

Ex hac casuum farragine, quam ex auctorum scriptis variae indolis collegi, illa hujus vitii classis, quam ad ultimum recensui, ubi intestinum rectum cum vesica ita correspondebat foramine, ut faeces alvinae per urethram ejicerentur, observationem nunc tractandam proxime tangit. Quae cum non paucas tantum observationes, sed, si argumentum spectes anatomicum, non satis descriptas, nullaque fere tolerabili figura expressas contineat, operae pretium esse duxi, hac occasione rarum hunc casum describere, et delineatione quantum fieri potuit, ad naturam facta illustrare. Oculis vero placidis, Auctores benevoli, me disserentem excipiatis, id est, quod a Vestro favore iterum atque iterum rogo. —

Morbi historia.

Vir quadraginta novem annorum constitutione sat larga praeditus, jam inde a prima aetate de abdominis conquerebatur mollestiis, quae quales fuerint, parum explorare mihi licuit. Magna qua semper gavisus est animi hilaritate hoc malum patienter tulit. Donec ex perlongo temporis spatio vitam degenti sedentariam auctumno anni 1821, urinae excretio admodum difficilis cum magno frustra tamen mingendi conatu sese adnuntiaret. Quae difficultas mox ita accrevit, ut catheterem in usum vocare cogeretur. Hieme praegressa, quam sat bene peregerat, gravioribus istis mollestiis iterum tentatus est, quarum praeter alia remedia adhibita, balnea calida magnam demsere partem. Ad varia valetudinis restituendae causa confugiens, spem potissimum in itinere faciendo collocavit. Sed valde fefellit. Urbe enim vix relicta, mictus ille difficilis, doloribus atrocissimis, magnoque urinam mittendi desiderio comitatus adeo ingravescebat, ut non nisi catheteris ope ejicere

illam posset. Ad Thermas Toeplicenses, quae in propinquo erant confugit primoque balneo adhibito magnum coepit levamen, ita ut doloribus mitigatis sponte jam urinam reddere posset. Ast ex eo inde tempore urina sedimentum exhibuit, crassum foecium saepe odorem redolentem.

Facile inde utriusque visceris communicatio suspicabatur. Quae opinio mox comprobata fuit. Cum enim aliquando, domum reversus aliquot uvas magno cum desiderio petitas comedisset, frustula statim acinosque simul cum lotio faeculento per urethram emisit. Quod nihil aliud quam meatum ex intestino recto in vesicam certe adnuntiabat [1]).

---

[1]) Simile hujusmodi exemplum apud Bonetum (B. sepulchr. anat. Genevae 1679. Libr. III. Sect. 28. obs. 31.) hisce verbis testatur:

„C. Dunsaei, oratoris Regii, observatione retulit Petrus „Asselinaeus, quendam uvarum acinos et frustula lactucae „aliorumque ciborum excernere cum urina solitum. Cui „dissecta a morte vesica tota exulcerata et pure repleta „visa sit."

Non possum autem non hac occasione observationum nonnullarum valde ut mihi videntur fabulosarum mentionem facere, quae ejusmodi mictus non semper in vesicae affectionem referri posse, comprobare feruntur. Theologus quidam Venetus (Bon. sepulchr. l. c.) quotiescunque aquam

Simulquoque magno sed irrito et valde dolente mingendi conatu afficiebatur, nec nisi parvam materiae crassae turbidaeque copiam, eamque per anum emisit. Atque hoc pro diarrhaea declaravit aeger.

Quibus incommodis, appetitu esculentorum prostrato, insomniis insuetaque debilitate accersitis, jam animus magis magisque irrequietus reddebatur, magnaque in eo iracundiae proclivitas orta est. Accessit praeter naturam sub vesperem in volis manuum aestus, cum pulsuum modica celeritate, quibus febris lenta manifesto prodiit. Viribus abhinc indies ita exhaustis, auctumno anni praeteriti, vitam miser cum morte permutavit.

Pauca tantum medicamina in illo morbi stadio, quo ex itinere redux versabatur aeger, in usum vocata sunt. Prae omnibus emulsio ex camphora non parum ipsi paravit leva-

---

biberet, cum semen melonum mandare consuevisset, ejus portiones integras per urinam emisit, nullo tamen vesicae affectu. Sic etiam semen anisi usu acidularum integrum emictum memoravit Pygraeus Lib. X. Chir. cap. 22. et praeter hoc pilos carbonesque Fabr. Hild. Cent. V. obs. 51., acinos quoque halicacabi. Cent. III. ob. 72. G. Hier. Velschius. Ep. obs. 60.

men. Praeterea aqua Geilnavensis non nisi per breve temporis spatium ipsi porrigebatur. Nec opii usus sub vitae finem aliquid proficere videbatur. Investigationes manu saepius institutae nullius vitii vestigium nec in intestino recto nec in vasis urinariis detexerunt. Quod ex eo patebat, cnm mali sedes, ut postea apparuit, altiori intestini recti loco, septem circiter pollices sub ani orificio posita esset.

Sectione cudaveris instituta, e vestigio vesicam urinariam et intestinum rectum non modo laesas esse, quin etiam mirum in modum coalitione inter se cohaerere, constitit. Praecipua quae observata sunt momenta uberius referre, mihi liceat.

Disquisitio partium quae laesae reperiebantur.

Vesicam urinariam inquirens, formam a recta non declinare inveni. Longitudo sex circiter pollices, peripheria tredecim et dimidium explevit.

Superficies externa lateris dextri a superficie lateris sinistri valde discrepuit. Illam

enim modo maculis modoque striis rubidis, elevatis instructam, vasorum sanguiferorum omnino expertem vidi. Tunica externa cervicem versus admodum laxa apparuit. Haec minus de latere sinistro dicam possum, cujus superficies externa albo induta est colore. Fundi superficies externa valde rubra fuit.

Posterior vesicae pars, quae intestinum rectum spectat, a fundo ad cervicem usque cum eo coalita, livido infecta fuit colore. Qui cum intus magis quam extrinsecus prodire videretur, limitem utriusque visceris facile notavit.

Hanc autem intestini recti cum vesica coalitionem e fundi regione arctiorem, quam cervicem versus inveni.

Dissecta in longum vesica urinaria, superficiem internam parietis anterioris glabram parum modo fuscam vidi. In pariete vesicae posteriori, praeter maculas lividas, tunicam internam marcidam, musculorumque fasciculos nudos, pallidosque reperiebam. Cervicis parietes admodum elevati magnam exhibuerunt crassitudinem.

Maxumam mirificamque fundi corruptionem obtulit superficies interna. Duo ibidem

inveni foramina unum in quolibet latere. Id quod latus dextrum obtinuit. (lit. desig. F.), magnitudinem exaequavit Imperialis Borussici. Tunica interna plane defuit. Modo margine retis instar perforata locum circumdedit affectum. Musculorum fasciculi pallidi, elevati, putredine ex parte labefacti modo margine (sub lit. G:) conspiciebantur. In medio intestini recti parietes (lit. F. not.) qui, sicuti jam antea monui, cnm vesicae pariete posteriori connati erant, sub musculorum stratis deletis patebant. Vesicae paries lateralis intestino ibidem adnexus valde tenuis et pellucidus fuit. Specillo alte demisso canalem exploravi, qui ex vesicae cavo inter tunicas intestini recti corrosas procurrit.

Similem fundi laesionem in latere ejus sinistro prope illam quam modo descripsi, vidi; cujus quidem ambitus internus (lit. E. desig.) vesicae superficiem occupans, antecedente minor fuit; profundius vero majorem ostendit corruptionem. Tunica vesicae eodem modo, quo jam vidimus, in medio fuit sublata, in circuitu lacerata, a fundo revulsa. Musculorum fasciculorum parva tantum copia, livida, putredine dissoluta, marginibus inhae-

sit. Nec solum specillum (quod lit. C. notavi), sed digitum etiam minimum profundius facile immittere potui. Quo demisso saccum, quem infra amplius describam, attigi.

Praeterea dissecta vesica nimiam ostendit carnositatem (lit. D. sign.), quae vero non omnibus locis aequabiliter fuit distributa. Superiori et inferiori parietis anterioris parte crassities quadrantem pollicis partem, media dimidiam explevit. Parietum vesicae lateralium sacco illo et intestino recto proxime adjacentium partes modo induratae modoque cartilaginosae animadvertebantur.

Intestinum rectum supra fuit desectum. Pars quae sub fundo eminebat, tunicas valde rubescentes, carnosas atque induratas prae se tulit. In sinistro hujus partis latere parietem externum excoriatione pollicem lata vidi laesum. In medio hujus laesionis duo fuerunt foramina, quae intestini recti cavum petierunt. Specillum sub tunicam externam foramina circumdantem demissum sacci partem superiorem, quae intestino ibidem adjecit, permevit (sub lit. D.), ac facili negotio in vesicae cavum per foramen sinistrum pervenit (lit. E. not.). Ideoque vesicam urinariam cum inte-

stini recti cavo correspondere inde bene intellexi.

Reliqua intestini recti pars, in dextrum vesicae latus descendens, superficiem externam ostendit lividam. Parvam ibidem perforationem animadverti, quae specillum demissum ad foramen fundi dextrum perduxit. Intestini recti superficiem internam in inferiori tantum parte inspicere mihi licuit. Colorem ostendit alienatum valde rubescentem et excoriationibus quamquam superficialibus, plane rotundis, non vacuit.

In sinistro intestini recti latere, saccum illum saepius jam dictum, et memoratu certe dignum inveni. Longitudo sex et dimidium, latitudo in media parte duos explevit pollices. Parte superiori in acutum surrexit, ibique sub dicta intestini recti laesione (sub lit. D.) parieti ejus adhaesit. Paries externus ubicunque lividus, splendens, ab osse sacro, cui adnatus erat, revulsus, foramine apertus fuit. Dextrorsum intestino recto, sinistrorsum vesicae urinariae ita fuit insertus, ut nullum ibidem limitis vestigium detegi posset. Reliqui ejus parietes partim ad vesicam partimque ad intestinum rectum pertinebant, ita,

ut intestini recti paries sinister dextrum et vesicae paries posterior anteriorem sacci parietem conficerent.

Structuram hujus sacci inquirens superficiem, quae pure admodnm infecta fuit, tunica interna modo ex parte orbatam deprehendi. Musculorum complures fasciculi, quamvis molles et pallidi, in anteriori et posteriori pariete sat distincte conspiciebantur. Propius vesicae quam intestino recto accedere mihi videbantur.

Ceterum omnes ejus parietes inferioris partis magna superstructae erant carnositate.

P r o s t a t a e pars dextra incolumis quidem, sinistra autem minor quoad ambitumanieque ex parte corrupta fuit.

U r e t h e r sinister, sub saccum descendens, ipsi coalitione adhaerens, facile tamen in vesicae cavum descendit.

D u c t u s d e f e r e n s in latere dextro fundum versus adscendens inter vesicam et intestinum rectum abiit.

D e v e s i c u l i s s e m i n a l i b u s ob concretionem recti cum vesica nil in adspectum prodiit.

R e n d e x t e r sinistro multo major fuit.

Non sine studio auctorum scripta pervolvi, spe commotus, fore ut de simili ejusmodi vitio peculiari inter vesicam et intestinum rectum situm tenente enarratum aliquid reperirem, sed mehercule frustra. Pauca tantum mihi in iis exempla, quae a nostro non plane abhorrent, occurrebant. Morgagni [1]) rusticum recenset, qui gravi mictus difficultate laboravit. Cui indies febris hectica successit, mortemque misero adduxit. Post mortem praeter tunicas vesicae admodum crassas, in latere ejus dextro saccus repertus est, in quadrantem excrescens, amploque orificio cum vesicae cavo correspondens. Ex omnibus vesicae tunicis constabat, omnisque superficies interna exulceratione correpta fuit. De simili vitio Acrel [2]) verba facit; enarrat nimirum, se in posteriori vesicae latere saccum invenisse, cujus longitudo palmae instar, crassitudo digitum transversum explevit. Structuram quod attinet vesicae plane respondit. Nec non Sandifort [3]), tres ejusmodi saccos in

---

[1]) De causis et sedib. Ep. 42. 28.
[2]) Chir. Vorfälle Bd. II. S. 73.
[3]) Obs. anat. path. Lib. III. Cap. I. p. 14.

posteriori vesicae pariete apud infantem septem menses vidisse confirmat. Sed haec omnia a nostro exemplo quodammodo discrepant. Nimirum quum vesicae ope orificii adhaereant, ad illa pertinent vitia quae nomine *diverticuli* complectuntur. Ille autem quem descripsi saccus, plane clausus, modo exulceratione foramine cum vesica et intestino recto correspondebat.

Originem hujus vitii quod attinet, virorum doctissimorum opinioni [1]) fidem habens, ex structura ejus congenitum esse arbitrer. Fortasse in duplicem vesicam conformandam vis formativa ab initio vergens, statim vero cohibita saccum hunc, qui vesicae tunicas distincte prae se fert, nec nisi uno gaudet pariete proprio, exhibuit.

Corollarium.

Quodsi omnia in hac gravis morbi historia explicita momenta atque res accurate examinemus, et paulo attentius consideremus, causam funesti hujus mali exitus in arctiori

---

[1]) Voigtel Handb. d. path. Anat. B. III. S. 236.

illo intestini recti et vesicae connexu quaerendam atque constituendam esse mihi persuasum est. Continua enim intestini recti in vesicam urinariam irritatione, hanc, quae praeter naturam exstitit, vesicae parietum crassitudinem ortam esse eo confirmari censeo, quod illa parietum pars, quae sacco proxime adjecit, singulari non modo carnositate sed duritie etiam curtilaginis instar esset instructa. Quod vesicae vitium sensim sensimque accrescens, mox impedivit, quominus tunica muscularis lotio exprimendo dicata, suo amplius munere fungeretur, sed potius sub vita sedentaria mictum illum quo aeger laboravit difficilem [1]) atque in tempus dolorificum excitaret. Quae difficultas saepissime repetita ad carnositatem parietum, cervicis praesertim, ut visum est, adaugendam haud parum contulit. Hinc urina justo diutius in vesica retenta aut emissione nondum perfecta relicta, variis fortasse ex itinere accersitis incommodis, vesicae tunicarum affectioni successerit exulceratio, quae in fundo exorta interiora

---

[1]) Confr. Wiechmann's Ideen zur Diognostik. Hanov. 802. Thl. 3. §. 88.

ita depascebat, ut ad vicinas usque partes serperet. Atque sic lotium cum materia saniosa in latere sinistro sacci superficiem internam rectique illum parietem, qui superiori sacci parti adhaeret petens inflammationem ibidem excitavit, lentaque exulceratione membranas ita errosit, ut utriusque visceris, intestini recti et vesicae communicationem formaret. In altero fundi latere lotium per canalem exitum quaerens versus intestinum rectum tandem profluebat, ibidemque pariete recti diffusum, inducta inflammatione coalitionem illam, quam in vesicae parte posteriori vidimus, quaeque ab illa, quam saccus in vesicae latere sinistro formavit, bene distinguenda est, confecit. Facile inde intelligere possumus, unde et reliquae partes vicinae, uti prostata et urether sinister, miseram hanc sortem non prorsus effugerint. Nec mirum, lethalem hujus morbi exitum fuisse, quum, intestinis laceratis, inque tot tantisque incommodis atque molestiis, vires tandem vitales exhaurirentur, necesse esset. —

Tabulae aeneae explicatio.

A) Intestinum rectum.

B) Vesica urinaria in longum dissecta, et pariete anteriori revoluta.

C) Specillum meatum ex intestino recto in vesicae cavum denotans.

D) Exiguum est sacci parietis posterioris-superioris, quo recto adjacet, vestigium.

E) Foramen fundi vesicae sinistrum saccum petens.

F) Foramen fundi dextrum.

G) Musculorum vesicae fasciculi.

H) Tunica vesicae interna.

I) Dissectae vesicae parietis margo dexter, ubi tunicarum carnositas distincte apparet.

K) Parietis vesicae dissectae margo sinister.

L) Prostatae pars dextra.

M) — — sinistra.

V i t a.

Ego Bernhardus Nathan Friedlaender natus sum Oppolii d. V. a. Idus Decembris anni 1798; optimo patre usus, mercatore et matre carissima e gente Pappenheimiana. Pater prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, me erudivit. Decimo tertio aetatis Gymnasium Regium, quod Oppolii optime floret, Rectore nunc proh dolor! defuncto clar. Floegel adii. Per quinque et quod excurrit annos ibidem commoratus, benevolentia et doctrina praeceptorum dilectissimorum, quorum memoriam semper pia grataque mente servabo eo provectus sum, ut anni 1818. M. Aprili in Universitatem Literariam Viadrinam me conferendi postestas facta esset, ibique Viro Jll. Ma-ihn Rectore t. t. Magnifico et Decano spectabili Jll. Remer in civium academicorum

numerum receptus et facultati medicae adscriptus sum. Per tres et dimidium annum hisce interfui praelectionibus: Jll. Prof. Passow de sex Homeri Odysseae Libr.; Jll. Rohovski de Philosophiae elementis et Platonis apologia Socratis; Jll. Wachler de historia recentioris aevi; Jll. Fischer de Chemia experimentali, pharmaceutica, uti etiam de reagentibus disserentes audivi. Jll. Treviranus botanices mihi fuit praeceptor. Jll. Gravenhorst historiam naturalem me docuit. Jll. Rosenthal, et postea Jll. Otto ex itinere redux osteologiam, syndesmalogiam, universalem corp. hum. anatomiam tam theoreticam quam pacticam et comparatam me instituerunt. Jll. Steffens benignus mihi fuit praeceptor in physica, mineralogia, philosophia quam dicunt naturalem, physiologia universali, atque doctrina de luce, calore et coloribus. Jll. Bartels physiologiam corp. hum. mihi exposuit. Jll. Wendt de Germaniae fontibus atque thermis medicatis disputantem audivi. Jll. Remer materiam medicam, therapiam tam generalem quam specialem, formulas medicas rite conscribendas artem mihi tradidit; cujus quoque scholam practicam in Clinico suo

medio

medico per dimidium annum frequentavi. Jll. Benedict chirurgiae universae, Ophthalmiatrices, de fasciis imponendis et instrumentis chirurgicis, nec non Chirurgiae practicae in Clinico chirurgico per dimidium annum dux mihi fuit. Quibus praelectionibus auditis, ex decreto Regis nostri clementissimi militiae munus per annum sustinui, quo peracto, Berolinum me contuli, ibique ab Jll. Wilken Rectore t. t. Magnifico nec non Decano maxime spectabili Jll. Link civium academicorum numero iterum adscriptus in hac alma Literarum sede audivi: Jll. Dec. Link de pharmacologia; Jll. Rudolphi de anatomia pathologica; Jll. Berends de materia medica, Celsi Libr. et Hippocr. aphor. disputantem. — Eundem Virum ad aegrotorum lectulos per annum et dimidium sedulo secutus sum. Deinde artem obstetriciam, et exercitationes quae huc pertinent manu faciendas didici in Instituto obstetricio, cui praeest. Jll. de Siebold. De Akiurgia scholis interfui Jll. Rust et Jll. Kluge. Ad clinicen medicam me porro instituerunt Jll. Hufeland nec non in Nosocomio Charitatis Cl. Neumann; ad chirurgicam Jll. Rust.

Quibus Viris Doctissimis summeque Reverendis ob hoc singulare, quod in me etiam excolendo posuerunt studium summas ago gratias majoresque habebo.

Theses defendendae.

I.

Remedia, quae dicuntur resolventia, non prorsus resolvunt.

II.

Therapia quo simplicior eo magis rationalis.

III.

In morbo regio bilis non semper resorbetur.

IV.

Frigus excitat.

Berolini, typis Haynianis.